



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***IAIPURENSIS\****

**IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS IAIPURENSIS APPELLANDA**

Evangelicum studium, quo munus Successoris Petri cotidie exercemus, nunc Nos impellit ut Ecclesiae quae est in India spirituales necessitates diligenter consideremus. Scimus enim fideles istius Nationis christiano itinere progredi, salvificas veritates attente audire et meditari, divina praecepta cotidiana in vita servare. Quibus consideratis, Nosmet Ipsi, eorum progressionem provehere volentes, de nova cogitamus dioecesi ibi instituenda. Idcirco quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, a dioecesi Aimerensi et laipurensi separamus territoria vulgo «Jaipur, Dausa, Alwar, Sawai Madhopur, Karoli, Nagaur, Sikar, Hanumangarh, Jhunjhumu, Churu, Ganganagar et Bikaner» atque ex iis novam dioecesim constituimus laipurensis appellandam. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v.d. «Malviyanagar» statuimus templumque ibidem exstans, Deo in honorem Virginis Mariae Annuntiationis Dominae Nostrae dicatum, ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim laipurensis Metropolitanam Ecclesiam Agraënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Petrum López Quintana, Archiepiscopum titulo Acropolitanum et Apostolicum in India Nuntium, deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo quinto,*

*Pontificatus Nostri primo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	CRESCENTIUS card. SEPE <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Antonius Macculi, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 8, pp. 842-843

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana